

apparet excessus, et solum agitur de justitia vel injustitia tributi, regulæ assignatæ servandæ sunt. Neque obstat huic justæ considerationi et prudenti judicio, quod tributa pendantur publicano qui illa conduxit seu emit, quia propter contractum publicani cum rege, non augetur debitum subditorum, et publicanus subrogatur loco regis, et ideo eo modo et cum illis limitationibus vel moderationibus ad illum transeunt, quo debebantur regi. Denique est optimum consilium et moraliter necessarium, ut hoc judicium practicum non fiat ab unoquoque de ipso; tum quia non solet quis esse æquus judex in propria causa; tum quia non solent esse singuli subditi sufficienter instructi ad hoc judicium ferendum: unusquisque ergo sequi debet consilium viri docti et prudentis, seu confessoris, qui regulariter, ac cæteris paribus, debent inclinare subditum ad solutionem tributi, præsertim ante factum, quia jus regis de se et majus et certius est; post factum vero facilius est convenire, ubi utrinque fuerit dubitandi ratio, ut dixit Sylv., verb. *Gabella*, 3, quæst. 14, et fere alii sequuntur.

## CAPUT XIX.

## UTRUM LEGES HUMANÆ IRRITANTES CONTRACTUM PŒNALES VEL ONEROSÆ SINT.

1. *Lex humana irritat contractus, quia hoc expedit aliquando communi bono.* — Unus ex effectibus legis humanæ est irritare contractus, ut in superioribus diximus, et nunc supponimus tanquam manifestum ex usu utriusque juris civilis et canonici. Sic enim in conficiendis testamentis, et in contractibus minorum et mulierum, et in bonis ecclesiasticis, et in ipso etiam sacramento matrimonii, aliquæ conditiones sunt jure humano requisitæ, sine quibus contractus non est validus ex vi ejusdem juris humani: ratio autem cur hoc possit facere lex humana, est quia non repugnat legi naturali, et alioqui expedit ad commune bonum reipublicæ ut talis potestas sit in republica seu ejus principe. Prior pars constat, quia, licet potestas contrahendi valide sit naturalis homini, tamen potest illa privari, sicut potest privari libertate, neque id est contra jus naturæ præceptivum, sed negativum, ut supra lib. 2 declaratum est. Posterior autem pars constat experientia, quia ad vitandas fraudes et alia incommoda sæpe hoc est necessarium, et ideo sicut data est reipublicæ potestas præcipiendi, ita et irritandi actus; item quia pars

communitatis est magis reipublicæ quam sua, et ideo habet operationes suas dependentes a republica, quando tales sunt ut in commune bonum vel damnum cedere possint: ergo caput reipublicæ habet potestatem in membra sua, ut possit operationes eorum irritare, vel modum eis præfigere sine quo invalidæ sint quoad morales effectus qui per eas fieri possent. Ab hoc ergo effectu leges aliquæ irritantes denominantur, quæ secundum illum rationem specialem considerationem habent, quæ in hunc locum optime cadit; nam propter illum effectum inter onerosas et odiosas leges computantur, quia valde onerosum est homini ejus voluntatem ita ligare, ut neque licite neque valide facere possit quod vult, et facere posset, nisi in lege impediretur. Ad explicandam igitur harum legum obligationem, oportet declarare quale sit hoc onus, et an subeat rationem pœnæ: inde enim constabit an hæc leges obligent ad modum pœnalarum legum, vel moralium: nam quod aliquo modo obligent dubitari non potest, cum veræ leges sint et intrinsece includant omnia quæ legi humanæ conveniunt ex vi generis, seu quatenus vera lex est.

2. *Leges irritantes esse pœnales sentiunt multi, quia est gravamen subdito.* — In quæstione igitur proposita, multi jurisperiti censent leges irritantes esse pœnales. Ita tenet Gloss. in c. *Decet*, § *Ordinarii*, verb. *Processus*, de Immunit. Ecclesiar. in 6; sequitur Panorm. in c. ult. de Fer., n. 18. Idem habet Bart. in l. *Sanctio*, in princ., ff. de Pœnis, et plures alii. Et potest sumi ex c. *Super litteris*, de Rescri. ibi, *In suæ perversitatis pœnam*, et ex l. *Turpia*, ibi, *Odio scribentis*, ff. de Legat. 1, ubi notat Bald. Imo aliqui vocant hanc pœnam naturalem et intrinsecam, ut videre licet in Decio, c. 2 de Constit., lect. 1, n. 5, cum Imol., in cap. ult. de Rescri., circa Gloss., verb. *Personalibus*. Et ratio reddi potest, quia irritatio actus quem homo suo jure et naturali libertate posset valide facere, est non parvum gravamen et nocumentum subditi: ergo non potest nisi in pœnam juste imponi. Et declaratur, quia hæc annullatio non fit nisi inhabilitando personam ad talem actionem; sed omnis inhabilitas personæ per legem inducta est quædam pœna: ergo. Confirmatur, quia si lex irritans non esset pœnalis, non esset restringenda, sed potius extendenda; consequens est contra communem omnium sensum. Atque hinc inferunt aliqui, eo ipso quod lex addit aliam pœnam, censeri non irritare, ne

bis eundem actum punire videatur, de quo puncto in cap. 23 dicemus.

3. *Leges irritantes non esse pœnales, sed directivas sentiunt alii.* — Probatur quia non est pœna sine culpa. — Aliorum vero sententia est, leges irritantes non esse pœnales, sed morales, seu per se directivas communitatis. Ita tenet Joan. And. in c. ult. de Elect., in 6, regula *Odia*, de Regul. jur., in 6, in Mecurial. Fundatur quia pœna solum est, quando lex diminuit patrimonium aut tollit jus acquisitum, quod non fit in actus irritatione. Idem tenet Domin. in d. cap. ult. de Elect., in 6; et idem sentit Felin., in d. c. 2 de Constit., n. 3, citans Inn. in c. *Si vero*, de Sent. excom., ubi dixit annullationem actus non esse naturalem pœnam. Sed dictum illud alium fortasse sensum habet, ut infra hoc capite dicam. Ratio autem pro hac sententia, præter eam quam tetigit Joan. Andr., esse potest quia pœna non est nisi præcedat culpa; sed annullatio actus fit sine culpa prævia; ergo non est pœna. Dices pœnam interdum imponi sine culpa, licet non sine causa, ut supra dicebamus de lege pure pœnali. Sed contra hoc, quia etiam loquendo hoc modo de pœna late sumpta, requirit culpam etiam lato modo, scilicet civilem, seu in eo foro in quo imponitur pœna, esto non sit necessaria culpa in foro Dei; at hic nulla culpa requiritur, etiam legalis. Vel aliter, quando ad pœnam non requiritur culpa, sed causa, necessarium saltem est ut illa causa sit actus liber punibilis ex justa causa, quia pœna non est nisi propter actionem vel omissionem liberam; at nulla talis causa est necessaria ad irritandum actum, sed alia quæ consideratur ex parte boni communis; ergo illa non sufficit ut sit pœna. Confirmatur, quia alias omnis irregularitas esset pœna, quia est gravamen quod non imponitur sine rationabili causa: consequens autem est plene falsum.

4. *Irritationem actus in proprio conceptu non includere quod sit pœna, et sæpius non esse pœnam, interdum vero sic.* — Vera tamen resolutio est irritationem actus in proprio ac necessario conceptu non includere quod sit pœna, et ita sæpius non esse pœnam, interdum vero posse veram rationem pœnæ habere. Hæc est resolutio communis, ut videre licet in Bald., in l. *Non dubium*, c. de Legib.; Panorm., in c. 2 de Constit., et melius Decio, ibi lect. 2. Ut autem distincte et in specie declaratur, adverto duobus modis posse irritari actum: primo, directe aliquid constituendo et præcipiendo, et solum per consecutionem, seu

indirecte, prohibendo et irritando; ita videre licet in lege dante formam actui, et per consecutionem irritante actum factum sine tali forma. Exemplum optimum est in decreto Tridentini, sess. 24, circa contractum matrimonii: nam pro forma contractus posuit ut fieret præsentem parochum et duobus testibus, et aliter factum irritavit. Simile exemplum est de lege requirente ad valorem testamenti talem numerum testium. Item de lege dante formam alienationibus rerum ecclesiasticarum, Clem. 1, de Reb. Eccl. non alienan., et c. *Sine exceptione*, 12, q. 2. Item de dante formam eligendi, c. *Quia propter*, de Elect. Alius modus directe irritandi actum est negativus seu prohibitivus actus cum verbis sufficientibus ad irritandum illum; talis est lex prohibens matrimonium inter consanguineos vel affines intra quartum gradum, et irritans matrimonium clerici in sacris, aut religiosi professi, et similes. Hæc autem prohibitio ob triplicem causam seu finem fieri potest. Primo, per se propter commune bonum, quia ita expedit ad divinum cultum, vel ad decentiam religionis; secundo, in favorem aliquarum personarum, ut ad subveniendum fragilitati earum, ut fit per leges irritantes aliquos contractus minorum; tertio, in odium personæ seu actionis ejus, ut in legibus irritantibus acquisitionem domini in aliquibus donationibus vel acceptationibus. Aliqui addunt tertium irritandi modum per inhabilitatem personæ, sicut solent theologo explicare impedimenta matrimonii et professionis, et sicut Conc. Trid. expresse declaravit factum ab ipso esse in decreto edito contra clandestina matrimonia. Sed hic modus, licet verissimus sit, in duobus præcedentibus includitur, nec potest ab illis separari, si respective sumatur. Nam quoties lex irritat actum, reddit subditi voluntatem inefficacem et impotentem ad contrahendum, vel transferendum aut acquirendum dominium, vel quid simile, et hoc est inhabilitare actum ad contrahendum, vel sic contrahendum. Aliquando enim lex inhabilitat simpliciter personam ad actum aliquem in specie, ut inhabilitat clericum in sacris, vel religiosum professum ad contrahendum matrimonium; aliquando inhabilitat respective tantum, ut ad contrahendum cum consanguinea, vel ad donandum extraneis; aliquando solum inhabilitat ad sic contrahendum, ut dixit Concil. Trident. in dicto decreto. Et in his omnibus respective irritatur actus ipse, et voluntatis consensus redditur inefficax ad talem effectum faciendum.

Per hoc autem et non aliter persona inhabilis fit ad eundem effectum, quia, sicut actus humani voluntate perficiuntur, ita inhabilitas personæ ad tales actus in voluntate spectari debet, quatenus actus ejus redditur inefficax. Et e converso non potest actus irritari, vel voluntas fieri inefficax, quin persona eo ipso inhabilis reddatur cum proportione, ut dictum est. Et ideo nobis sufficit duos illos modos irrationis distinguere, quia interdum distinctam doctrinam requirunt: tertius vero in illis includitur, et non habet aliquid speciale quod oporteat declarare.

5. *Prima conclusio.*—Dico primo: lex irritans actum indirecte tantum et per consecutionem ad institutionem formæ servandæ in aliquo contractu, non est pœnalis. Ita sentiunt auctores allegati, et plures quos refert et sequitur Matien., l. 4 Recopil., tit. 4, l. 1, 4, Glos., 10, n. 35. Et alios refert Sanch., l. 3 de Matrim., distinct. 4, n. 9 et 10. Et ratio est clara, quia ibi nulla præcedit culpa, nec sufficiens causa pœnæ ex parte ejus cujus actus irritatur; verbi gratia, quando quis condit testamentum minus solemne, quod ex illo defectu irritum est, nihil peccavit, nec aliquid fecit punitione dignum, quia, sicut libere posset testamentum non condere, et non ideo esset dignus pœna, ita etiam libere potuit minus solemne testamentum facere sine macula vel causa pœnæ; ergo nullitas illa non est pœna; ergo nec lex est pœnalis, sed directiva tali modo, et cum tali efficacia, ut constituat illam formam tanquam substantialem actui, etiamsi inde consequatur alteri incommodum ex nullitate talis actus. Et confirmatur, quia intentio talis legis non est punire actum, vel negligentiam alicujus, cujus signum est, quia in dicto casu detrimentum quod ex nullitate testamenti sequitur magis cedit in damnum hæredis quam testatoris, neque id reputatur inconveniens, quia revera lex neutrum punire intendit, sed communi bono providere; non potest ergo talis lex pœnalis reputari. Nec obstat quod interdum in jure videatur hic effectus, prout fit per has leges, vocari nomine pœnæ, et in l. 1, c. de Posthum. hæred. instit., ibi: *Ne pœnam patiatur præteritionis, qui suos non præterit*: nam ibi lato modo sumitur pœna pro incommodo vel damno quocumque.

6. *Secunda conclusio.*—Dico secundo: lex prohibens actum et irritans illum intuitu boni communis vel privatorum, non est pœnalis. Hæc etiam assertio est communis, ut patet ex Glos. communiter approbata in Clem. 2 de Hæret.,

vers. *Ea nunc*, et Abb., c. 2 de Constit., n. 7; Dec., n. 14; Felin., n. 7; Sylvest., verb. *Lex*, quæst. 6; Rosella, n. 6, qui omnes hanc irrationem a pœna distinguunt. Exempla illius sunt in legibus irritantibus matrimonia inter consanguineos, vel affines, vel inter cognatos spiritualiter: illa enim irritatio non est introducta in pœnam contrahentium, sed per se, propter decentiam religionis, vel conjugalis honestatis. Item huc spectant leges irritantes professiones minorum vel professiones factas ante expletum annum probationis, vel similes; ratio vero est, quia illa irritatio non fit in odium alicujus, nec in vindictam delicti, quod ad pœnam in rigore sumptam necessarium est, juxta l. *Sancimus*, cap. de Pœnis, nec etiam fit in recompensationem alterius transgressionis politicæ, ut explicatum est. Denique declaratur in hunc modum, quia pœna solum per accidens introducitur, seu per occasionem ad cohibendum, vel vindicandum: hæc autem irritatio per se imperatur et fit, quia per se excedit bono communi vel privatorum. Neque obstat quod talis irritatio cedat in nocuum alicujus, quia hoc est indirecte et per consecutionem, non vero est illud damnum intentum a legislatore, ut ille puniatur. Unde multi censent talem legem non solum non esse pœnalem, verum neque odiosam esse, sed potius favorabilem, quod sentit supra Dec. cum Alex. in l. 1 de Liber. et Posthum. Sed hoc ex principiis positus in principio hujus libri judicandum est.

7. *Tertia conclusio.*—Dico tertio: aliquæ leges irritantes pœnales sunt, scilicet, quæ irrationem inducunt in odium alterius transgressionis, seu culpæ. Ita docent Bald., Panor. et Dec. supra. Ut autem in proprio sensu intelligatur, oportet advertere aliud esse irrationem esse pœnam, aliud vero effectum actus irrii puniri pœna: contingit enim legem irritari actum et adijcere pœnam in eum qui talem actum irritum facit, sicut notant Bar. in l. *Prætor ait*, § *Interdictum*, ff. de Oper. nov. nunc., 3; Abb., Fel. et alii in c. 2 de Test., et constat ex usu jurium in l. *Jubemus*, 2, § *Sane*, c. de Sacros. Eccl., et ex l. 1, ff. de His quæ pro non scrip. hab., et in Extr. 2, de Simo., cum aliis punientibus illud delictum ultra irrationem; et ex Conc. Trid., sess. 25, ubi irritat matrimonium contractum sine paroco et testibus, et insuper præcipit puniri sic contrahentes, ut posset pœnam designare, licet non faciat; denique ex cap. 2 de Reb. Eccles. non alien., ubi contra eos qui res Ecclesiæ a do-

minis temporalibus impetrant et obtinent, dicitur: *Irrita habeantur quæ obtinent, et a communione Ecclesiæ excludantur*, quæ lex pœnalis est quoad pœnam excommunicationis ferendam; quoad priorem vero partem de irratione non est pœnalis, sed moralis. Imo neque est institutiva irrationis, sed declarativa, quia illa obtentio fuerat rapina quædam. Nam (ut ibi dicitur), qui sic obtinent bona Ecclesiæ, egentium substantiam rapiunt, quia dominus temporalis non potest illa valide conferre: ergo quod obtentio sit irrita non fit, sed declaratur per illam legem. Quando ergo actus irritus sic punitur per legem, clarum est legem esse pœnalem quoad novæ pœnæ impositionem; sed id quasi accidentarium est, seu adventitium irrationi, et ideo illam pœnam hic non consideramus, sed per generalem doctrinam de lege pœnali metienda est. Agimus ergo priori modo de ipsa irratione, quæ interdum in pœnam præcipue introducitur.

8. *Probat conclusio inductione.*—Sic autem probari potest conclusio inductione; nam inter impedimenta matrimonii, illa quæ sunt ratione delicti pœnalis sunt, ut sunt uxoricidium cum promissione, adulterium cum aliquo vivente conjuge cum promissione futuri matrimonii, ut habentur in toto titulo de Eo qui duxit in matrim. quam poll. per adult., et c. *Si vivente*, 31, q. 1; sic etiam electio religiosi ad prælationem, cui ipse consentit sine superioris sui licentia, irritatur in pœnam suæ præsumptionis, ut expresse dicitur in cap. *Si religiosus*, de Elect., in 6. Idem colligitur ex cap. *Dispensatio*, de Rescriptis, in 6, ibi: *Simili pœna, si contra hoc fecerit, puniendus*, scilicet, irratione cujusdam rescripti; et alia plura jura citantur a prædictis auctoribus, aliaque exempla de irratione donationum, vel acquisitionum, largitionum, aut fructuum frequentia sunt, et aliis locis tractata. Denique quoties in jure additur particula *in pœnam*, vel *in odium*, vel *in injuriam*, ut in capite *Cum secundum*, de Præbend., censetur irritatio fieri in pœnam; aliquando vero sine his particulis, et ex modo quo fertur, satis intelligi potest sub illa habitudine ferri; ratio vero clara est, quia irritatio actus est magnum gravamen, et potest nocuum afferre: ergo de se esse potest sufficiens pœna, et aliquando est valde accommodata delicto, ergo potest per legem intendi sub ratione pœnæ: tunc ergo vel illa, quatenus irritans, habebit simul rationem legis pœnalis. Nec obstat quod per irrationem non minuatur patrimonium, aut tollatur jus quæsitum; nam satis

superque sufficit quod impediatur acquirendum, vel quod privetur homo potestate, quam habet ad efficiendum valide actiones suas. Nam hoc modo inhabilitas ad beneficium est magna pœna, et in leg. *Senatus*, ff. de Contrahend. empt., irritatio venditionis dicitur pœna venditoris, etiamsi re sua non privetur, et similes pœnæ numerantur in l. *Minoris*, ff. de Pœnis.

9. *Sententiarum conciliatio.*—Ex his ergo possunt facile sententiæ adductæ conciliari; nam indefinite utraque verum dicit, neutra autem universaliter. Unde quæ dicit legem irritantem esse pœnalem, ut sit vera, permissive seu potentialiter est intelligenda, id est, potest esse pœnalis. Quæ vero negat esse pœnalem intelligenda est formaliter, seu ex necessitate, quia lex irritans, ut talis est, non postulat quod sit pœnalis, neque hoc est illi intrinsecum. Et ita etiam facile solvuntur fundamenta illarum opinionum, si contra ea quæ diximus applicentur. Jura enim allegata in prima opinione solum probant irrationem interdum esse pœnam: ratio vero ibi facta probat hanc posse esse pœnam, non tamen necessarium esse respectum pœnæ ut fiat, quia per accidens est quod respectu alicujus sit gravamen. Propter bonum commune multa gravamina toleranda sunt sine culpa, sine personali causa, seu defectu. Unde non est verum omnem inhabilitatem personæ esse pœnam; interdum enim ad perfectionem, et statum religiosum pertinet; aliquando vero est quid indifferens. Ad confirmationem vero ibi additam de interpretatione legis irritantis, dicemus latius in libro 8. Nunc solum respondemus legem irritantem, si fuerit simul pœnalis, restringendam esse; alias vero intendi posse prout favorem vel utilitatem communis boni prospexerit, et aliquando restringi posse, nisi inde resultet aliquid contra commune bonum, quia ad hoc sufficit ut sit onerosa, licet pœnalis non sit. Argumenta vero et jura allata in secunda sententia probant recte irrationem posse et sæpe induci in pœnam, non tamen hoc illi esse intrinsecum, nec in universum illi convenire. Et hoc tantum convincitur exemplo irregularitatis ibi adducto, quod etiam probat posse dari inhabilitatem, ac subinde irrationem, quæ non sit pœna. Discursus denique ibi factus convincit in illis casibus, ubi irritatio fit sine culpa alicujus, et sine causa (ut sic dicam) personali, non posse irrationem esse pœnam. Sæpe autem imponitur irritatio præcedente culpa et ratione illius, et ideo tunc merito imponi potest in pœnam.

10. *Posse in eadem lege irriationem actus ferri per se in bonum commune, et in pœnam.*— *Obviatur objectioni.*— Addo denique aliquando accidere posse ut in eadem lege irriatio actus feratur, et per se propter commune bonum, et simul in pœnam. Quia isti duo respectus non repugnant simul conjungi in eodem effectu; vel respectu ejusdem, vel respectu diversorum. In exemplum adduci possunt impedimenta irriantia matrimonium propter delictum introducta; nam illa pœnalia sunt, ut vidimus, et tamen etiam per sese erant expedientia ad commune bonum, ut securitati et fidelitati conjugum consuleretur: unde, licet alia pœna tale delictum condigne puniretur, nihilominus posset juste irriatio simul persistere sine duplicatione pœnæ, quia per se expediebat, etiamsi non adjiceretur in pœnam. Dices hinc sequi nunquam fieri irriationem in pœnam, quin etiam propter se et propter suam utilitatem fiat, quia semper talis irriatio confert ad commune bonum, et propter illud fit. Respondedo negando sequelam, quia hic non consideratur tantum communis utilitas quæ invenitur in pœna, ut pœna est, quæ est vindicare delictum, et per illum modum coactionis præcavere ne similia fiant, quod est commune omni pœnæ: sed ulterius consideratur utilitas medicinæ (ut sic dicam) auferendo occasiones perpetrandi similia delicta, quæ utilitas non est communis omni pœnæ, nec de ratione ejus, ut ad vindicationem spectat. Hoc ergo modo dicimus, per irriationem illam matrimonii in prædictis casibus auferri occasiones perpetrandi similia delicta, et hanc causam fuisse sufficientem ad imponenda talia impedimenta, etiam sine vindicatione delicti, quod per aliam pœnam fieri potuisset, sicut de facto etiam fit. Aliquando vero imponitur in pœnam inhabilitas ad beneficia, propter rebaptizationem, verbi gratia, vel aliud simile delictum, ad quod vitandum nihil confert illa inhabilitas, nisi per modum comminationis et vindictæ, sicut quælibet alia gravis pœna prodesse posset.

## CAPUT XX.

UTRUM LEGES IRRITANTES ACTUS, ILLOS IN CONSCIENTIA PROHIBEANT.

1. *Ratio dubitandi.*— Ratio dubitandi esse potest, quia hæ leges sunt vera præcepta superiorum; sed de ratione veri præcepti seu legis est ut obliget in conscientia, ut supra os-

tensum est; ergo necesse est ut hæ leges in conscientia obligent aliquo modo. Et confirmatur, quia supra dictum est etiam leges pure pœnales resolvi aliquo modo in obligationem conscientiæ, quia alias non salvaretur in eis vera ratio legis; sed leges irriantes non minus sunt veræ leges quam pœnales; ergo. In contrarium vero potest fieri inductio; nam lex irrians testamentum minus solemne, nullam obligationem in conscientia inducit, quia neque testatorem obligat ad servandam solemnitate, cum possit de rebus suis valide et invalide disponere, sicut potest aliter eas consumere si velit; nec etiam obligat hæredem, cum illi nihil præcipiat. Similiter lex irrians contractum factum a minore non obligat illum in conscientia, cujus signum est, quia potest illum juramento confirmare, quod non posset si esset peccatum; et sic de aliis.

2. *Distinguendas esse duas partes in lege.*— Ad resolutionem hujus quæstionis (cum proportionem ad ea quæ de lege pœnali diximus), oportet distinguere duas partes in hac lege: una est effectio vel omissio actionis quam lex ista præcipit, alia est irriatio actionis quam lex ipsa jubet vel facit. Circa primum, advertere oportet ex dictis, tripliciter ferri hanc legem, scilicet, per modum affirmativi præcepti, vel per modum negativi, vel neutro modo, sed tantum quasi conditionaliter ad modum legis pure pœnalis. Primum modus habet proprie locum in legibus quæ dant formam contractibus, ut patet in decreto Tridentini de matrimonio, quo præcipitur ut matrimonium cum tali solemnitate fiat. Item in canonibus dantibus formam in electionibus, in alienationibus ecclesiasticis, et similibus; præcipiunt enim talem formam servari, et quoad hoc habent formam affirmativi præcepti. Si quis autem recte consideret talia præcepta, ut affirmativa sunt, non sunt absoluta, sed conditionata; non enim præcipiunt alienationem fieri, verbi gratia, sed ut, si fiat, tali modo fiat, quia nimirum tales leges non præcipiunt exercitium actus, ut sic dicam, sed solum formam seu modum servandum in actu, quando fit. Unde talia præcepta resolvuntur tandem in negativa, scilicet, ut talis actus sine tali solemnitate non fiat; sic Tridentinum, sess. 25, c. 15 de Regul., prius prohibet professionem fieri ante expletum decimum sextum annum ætatis, et annum probationis, et deinde irriat professionem aliter factam. Quocirca secundus modus legum negativarum prohibentium, scilicet, absolute actus, et irriantium illos frequentior est. Sic

enim prohibentur matrimonia inter consanguineos vel affines, vel cum religioso professo aut clerico in sacris, vel prohibetur aut irriatur datio, vel acceptio simoniaca, et alia similia. Tertius autem modus potest interdum cum quolibet ex superioribus conjungi. Aliquando enim lex dans formam actui prius præcipit sic fieri, seu non aliter fieri, et postea irriat aliter factum, ut in exemplis ex Concilio adductis satis patet: nonnunquam vero nihil præcipit, vel circa actum ipsum, vel formam ejus, sed tantum conditionaliter statuit ut, si absque tali forma fiat, non valeat, ut patet in lege de solemnitate testamenti et similibus, et similiter in legibus directe irriantibus actus aliquos, non propter defectum formæ, sed propter alias causas, sæpe fertur prius absoluta prohibitio actus, et additur irriatio, ut patet in exemplis adductis de matrimonio: aliquando vero nihil simpliciter prohibetur, sed irriatur actus si fiat, ut in casu cap. *Quamvis*, de Pact., in 6, cum similibus de quibus infra.

3. *Posse per legem statui irriationem, vel ut faciendam, vel ipso facto.*— Circa alteram partem istarum legum, scilicet irriationem, advertendum est dupliciter posse per legem statui; nempe, vel ipso facto, vel ut faciendam. Nam sicut lex pœnalis interdum imponit pœnam ferendam, interdum per se illam infert ipso facto, seu ipso jure: ita irriatio utroque modo ferri potest per legem, quia uterque modus est possibilis, et uterque pendet ex arbitrio legislatoris, et consequenter ex mente ejus, quæ uno et alio modo per verba legum significari solet. Sæpe enim dicunt talem actum, si fiat, vel aliter fiat, esse irritum vel non valere, ut in leg. *Stipulatio non valet*, ff. de Verbor. oblig., cum similibus; aliquando vero solum dicunt ut actus irrietur, ut de venditione ultra dimidiam justipretii, in l. 2, c. de Rescind. vendit. His autem duobus ordinibus legum solent jurisperiti addere tertium, earum legum quas vocant nec assistentes, nec resistentes contractui, quia non dant actionem civilem alicui contrahentium. Sed hæ leges non solum irriantes non sunt, verum etiam nec prohibentes actus, quia nec irriant, nec confirmant contractum, nec prohibent, nec præcipiunt; et ita versari possunt et circa actus injustos, ut est lex negans actionem contra venditionem injustam citra dimidiam; et circa actus justos, ut est lex negans actionem propter solam obligationem naturalem ortam ex simplici promissione. Qui modus legum præsertim inter civiles reperitur, et licet irriantes

non sint, ut dixi, earum notitia aliquid conferre potest ad obligationem legum irriantium intelligendam, ut ex dicendis patebit.

4. *Prima conclusio.*— Jam igitur dico primo: lex dans formam actui, licet non obliget ad exercitium actus, nihilominus ex se obligare potest in conscientia, vel ad servandam formam in tali actu, si fiat, vel (quod perinde est) ad non faciendum actum sine tali forma, et de facto ita obligat, quando vel materia legis id ex natura sua postulat, vel in lege satis exprimitur, et non alias. Assertio est clara ex dictis. Primo enim jam ostensum est per tales leges nullum actum absolute præcipi, ut est per se notum; nam lex dans formam matrimonio aut testamento non præcipit contrahere matrimonium, aut facere testamentum; ergo talis lex non inducit obligationem ad faciendum actum, quia hæc non oritur nisi ex præcepto affirmativo absoluto. Secunda vero pars etiam est per se clara de possibili, quia illa potestas non excedit limites justitiæ, et pertinere potest ad convenientem reipublicæ gubernationem, et ab usu ostendi potest multis exemplis supra adductis, quæ statim necessario repetemus. Quia vero talis lex non semper inducit talem obligationem, ut inductio in principio facta convincit, ideo difficultas tota est quando hæc lex ita obliget in conscientia, ut omissio formæ in tali actu peccaminosa sit, vel, quod perinde est, ut contrahere, vel alium similem actum facere sine debita forma per legem humanam præscripta, peccatum sit, vel non sit.

5. *Duo signa ad dignoscendam obligationem istam.*— *Primum ex objecto.*— *Secundum ex prohibitionem in lege, si additur irriatio.*— Duo ergo signa præbuimus ad dignoscendam hanc obligationem. Unum est, quando actus ex vi sui objecti et naturæ talis est, ut velle illum facere quando valide fieri non potest turpe sit et contra rectam rationem. Quod maxime videtur contingere in materia religionis, et in actibus sacris, et in materia justitiæ; nam efficere actionem sacram modo irrito et invalido sacrilegium est, quia est contra reverentiam debitam rei sacræ, ut facere sacramentum irritum, et sine debita forma et materia. Et hac ratione, etiamsi Concilium Tridentinum expresse non prohibuisset, sed tantum irriasset matrimonium factum sine parochio et testibus, esset grave peccatum illud sic contrahere, quia esset contra reverentiam sacramenti. Idemque est de quolibet alio matrimonio contracto cum impedimento irriante, et de professione in religione facta, omissa forma, seu